D. ... ...uenus.

... Joan. Nep. Praesidium universi.

PRÆSIDIUM
VNIVERSI
CRACIAS INTER TVRRES
D. JOANNES NEPOMUCENUS,

Sacræ Theologiæ & J. V. Doctor
Canonicus Cathedralis Pragensis,
Thaumaturgus ob servatum Sanctæ Confessionis sigillum
Martyr, famâ periclitantium singularis
PATRONVS.

Dum
Ejus Sacræ Reliquiæ ad Ecclesiam Divi ADALBERTI Archiepiscopi & Martyris, ex Basilica Cathedrali Cracov:
Ritu Solenni Introducerentur?
Architecta Pietate Archi-Confraternitatis Literatorũ & aliorum
CVLTORVM

ERECTUM.

& devota Panegyri
A
M. MICHAELE IOANNE NEPOMVCENO AWEDYK,
In Alma Vniversitate Crac: AA. LL. ac Philosophiæ Doct: & Profes: Scholæ B. V. MARIÆ in Circulo Cracov: SENIORE.

DELINEATVM.

Annô Quô
Præsidium ad Reparandam Salutem humanam, DEUS Homo factus 1731 Die 22. Septembris.

CRCOVIÆ Typis Jacobi Matyaszkiewicz S. R. M. Celsissimi, Illustrissimi & Reverendissimi, Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ Ordinarij Typographi.


Rastra petit Latium Lechicos lege peomptius Agros
Summus in unum sic uos junget honor
Ad Lætus Augustum cor Regni, Regis Amores.
Quas Rasteis legit spargit ab ore Rosas
Non humilis nostris pungat uinea Rastris
Flores mei fructy honoris Eccl: 24

ILLVSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO
&
REVERENDISSIMO Domino

D. JOANNI
ALIPE
LIPSKI,

EPISCOPO Nominato LVCEORIENSI
Supremo Regni PROCANCELLARIO,
ABBATI CLARÆ TVMBÆ,
Miechoviensi Generali, Chocznensi Vschovensi
PRÆPOSITO
Domino Domino
Mecænati Amplissimo.

S Olenni Sacrarum Diviniss: IOANNIS NEPOMVCENI *Reliquiarum ad Regni Metropolim Cracoviam Introductioni, ne justus deesset plausus; Nomini Honoriq;* Tuo *prono Cultu*

et veneratione consignatur Illustrissime & Reverendissime Domine. *Ferentur facile à tota Polonia totoq; Vniverso celebres* IOANNI *plausus, cùm sub* Tuo *Nomine in publicam his pagellis profertur lucem. penesq;* Tui Procancellariatus Sigillum *pro sigillo Confessionis* Martyr *festivis acclamationibus non carebit. In Præsidium ab Vrbe Cracia assumptus, ad montes Gentilitios, &* Tui *fastigium Stemmatis eminebit. Cessit pridem in Patriæ Tutamen* Domus Tua Illustrissima, *quotq; Illi Heroes invictissimos dedit tot Aheneos exposuit muros, nullo bellico ariete superandos. Sparthani dicendi omnes, apud quos pro defensione Boni publici mænia pectus agit. In brevem hanc paginam omnes non evoco, Singulos factis immortalibûs superstites veneror, aliqvos fastis amplissimis dignos, tenui dignor calamo.* Celsissimus o*lim* Illustrissimus *&* Reverendissimus ANDREAS LIPSKI Episcopus Crac: Dux Severiæ Abavus Tuus, *Quis qvantusq; fuerit, Acta publica nonquam sine laude testantur. Lechicus Demosthenes fuit Floruscq; Polonus, utroq; quàm longe major, ex Libris quos in lucem edidit, posteritati innotescit. Supremus Regni Cancellarius, Regi-*

usq;

usq; a latere & à corde Orator, ita pro Majeſtate perorabat, ut & Civium in ſe conſervaſſet amorem. Poſt Luceorienſes & Vladislavienſes Inſulas, Cracovienſi Caput ſubmiſit Tyaræ, eamq; ſummis meritis reddidit altiorem. Præſul ſæculis optandus, Senator & Paſtor vigilantiſſimus, ſub aſſũptis Præſuleis violis, reliquit florem perpetuò virentem Sacris honoribus. Eccleſia Collegiata in Hocz *Liberaliſſimum Fundatorem, omnes aliæ quibus præfuit Benefactorem narrant. Militat ſama perennis* ADAMO LIPSKI, Capitaneo Tarnogorienſi Vexilliſero Terræ Belzenſis, *quoties bellicas expeditiones ſuſcepit toties è Patriæ limitibus expedivit hoſtes, Sibi Trophæa erexit. Sine obliuione vindicat Sibi memoriã* PROCOPIVS LIPSKI Surrogator Poſnanienſis, Notarius Caſtrenſis Caliſſienſis, *Qui multoties Tribunalitius Judex, nunquam pietatẽ ab eruditione, eruditionem à pietate ſeiunxit. Solide perſiſtit in immortali Gloria* PETRVS LIPSKI Dapifer Calliſſienſis, *ad guſtum Patriæ vitam duxit, ſolis hoſtibus diſplicebat. Sub Mauſolei lapide fatalem Nominis Sui non experitur occaſũ,* STANISLAVS LIPSKI Præpoſitus Gneſnẽſis, Patru-

us Tuus, *Cui pro Colossis & obeliscis sufficiunt facta immortalia. Præsidens multoties Tribunalis Regni, nunquam non pro Themide certavit. Intricatos causarum nodos mentis acumine faciliùs resolvere novit quàm Gordium Alexander. Hoc nonnisi contra fas & æqum agere visus, quòd ad detergendos emeritæ frontis sudores, Præsuleas Vittas non admisit. Alterum Patruum Tuum à priori, charactere non meritis dissimilem,* PROCOPIVM LIPSKI Castellanum Rogosnensem *celebrant virtutes trabeatæ. Marti primam devoverat ætatem, victrices quas promerebatur laurus, ut immarcessibiles haberet; hostili sangvine irrigabat. Pactolum gemmiferum pro sepia fundere calamus deberet, ut condigno elogio innuere possit* Illustr: VENCESLAVM LIPSKI Parentem Tuum, *ob præclara gesta Heroem Illum, quem antiquitas si vidisset, veriorem Herculem apellaret. Ad summa decora quibus selectissimis exornavit Patriam, hoc ipsi supereminens est, quòd Te ad perenne Regni totius ornamentū dederit.* Barbara De Miastkowscijs Mater Tua, *digna Apellis penicillo, si par esset delineandis virtutibus Ejus. Pertinet ad idem Elogiū Avunculi*

cum Tui in Republica Polona meritissimi, Ioannes Miastkowski Subjudex Terrestris Vschovensis, Michaël & Antonius, Viri quorum quilibet Triarius; Virtute, *Prudentia*, *fortitudine pro Patria & Libertate dexterrimus. Affines Cognataq; Familiæ*: Kowalscij, Kozminscij, Radzewscij, Koscielscij Grabscij, Mierzewscij; *aliiq; Honore Nomine Maximi aut summis pares, unà Tecum in plausus Orbi veniunt & magna adaugent Vota.* Tu Illustrissime Domine, Prosapiæ Sangvinisquè Lipsciani *Oceanus es, omnium Aboriginum Compendium, Majorum, maximus Nepos. Nullus Illorum decrescit, Te ad augem meritorum crescente. Nullus desinit etiam suum post occasum, Te ad honorum Soles accedente. A prima ætate parvi nihil in Te apparuit, præter Corpus. Ephebus Phæbo dignâ ut agis egisti vitam. Ab aurora elucebat, quantus in meridie sperabaris. Intulisti à teneris Indolem scholis Artium bonarum capacissimam, Apollini Tullium huic Aristotelem adunasti & omnibus ingeniô major evasisti: sub Alienos abiisti soles, non sine Phæbeo Tuæ virtutis splendore. Quascunq; lustrasti Oras, illustrabantur à Te nullusq; erat, qui Te non crederet luminare*

majus oculis suis obversari Sunt alijs Regna extranea ad stuporē, Tu Imperijs & Nationibus admiratio. Alijs Athenæ ad profectum, in Te celebriores Universitates, Magisterium veneratæ, plùs in Te eruditionis agnoscentes, quam amplissimi habere possunt. Redux in Patriam sine moribus alienis, non tamen solus rediisti, in Comitatum Tuum Virtutes omnes & elegantias Gentium admisisti, multo venerabundus, quod plausu ab exteris salutabaris. Tacendum tamē non est qua in Te æstimatione ferri non desinit, Celsissimus Princeps Illustrissimus & Reverendissimus Dominus THEODORVS *in Potok* POTOCKI Archi-Episcopus Gnesnensis, Legatus Natus, Regni Poloniæ & M. D. L. Primas Primusq; Princeps. *Supremi Tribunalis Regni Te Præsidentem voluit, in Cælo justitiæ. Primum mobile. Senserunt Te severiorem Catonem crimina. Virtutes certū Asylum & Patrocinium habuerunt. Sub Te æquitatis Moderatore Sanctior ãpliùs nō poterat desiderari Areopagus. Supremus Regni Procancellarius Os Regium factus dicendorum materià es, ni omnem vim eloquentiæ transcendas. Sub Sigillo Tuo servantur Demosthenes, rosei Hortensij, mellei I-*

so-

socrates, Parentes Romani Eloquij Cicerones quia Tu Ipse Tullius, & omnium Princeps Oratorum. Sinceritate dicendi Ambrosius, verborum pretio Aureus Chrisoslomûs. Gentium Oratores stylo suó Te facundum mirantur, Lingvas plurimas audiunt, & Te unum ingeniorum prodigium venerantur. Loqueris Gallis lilia, Germanis & Italis Tuo Ore respondes, acsi Eorum lingvâ haberes. In publicis expeditionibus quis Te promptior? pennas scribentium prævolas, eáq; celeritate matura, ex tempore agis; in quibus alij consumerent annos. Præsto Tibi adest negotiorum peritia, ceu Delphicus Apollo quævis dubia solvis, & verba pro oraculis existunt. Quævis Tua Sapientissima dicta in legum volumen referenda; quævis rotundæ periodi, Æternæ Veritatis propositiones censendæ. Quidquid in Judicijs Curiæ pronuntias, aurô cædroq; notandum, omnium menti placet & pectori imprimitur, quia omnibus pro justitia favorabile. Plurima quæ rectè peragis, fama communis narrat; & minora dicit Tuis laudibus. Non Te publicæ curæ pietati eripiunt, non Regni negotia à Superis avertunt. Intentum Te sibi Cælum habet, licet rebus communibus

attendas Corde Tuo Sanctior erumpit Vesuvius quo Divorum Ædes collustrantur. Pietatis Tuæ Socia in egenos munificentia, Pater Patriæ diceris simulq; miserorum Pater audiris. Præceps Tua omninò benefica manus, ad ferendam inopibus opem, Iberios fluvios superando. Instat syllabus ingens virtutum Tuarum, sed numerum Oratorum excedunt, fient sibi ipsæ Panegyres erunt Plinij qui Te suum Trajanum laudabunt. Tibi Theodosio non deerunt, facundiores Pacati. Operis hujus exigui objectum, profundißima veneratio non materies encomiorum, quæ Tullios & Marones requirunt. Imò ut Te digna contingat Oratio Tuo Calamo scribendus & Tuo Ore dicendus eßes. NEPOMUCENUM in Præsidium Urbis Craciæ aßumptum, Tibi Patriæ Ecclesiæq; fero Defēsori, IOANNEM IOANNI, Lingva suâ incorrupta vocalè Vocem, Oratori Regio dico, Sigillo Cancellariatus, pro Sigillo Confeßionis Martyrem Divinißimum venerabundus appendo, Primasq; Violas & Celsißimos Hongrum fasces sub RASTRUM Gentilitium Colligi precor.

ILLUSTRISSIMÆ
Excellentis: & Reverendis: Dominationis Vestræ

humillimus Cultor
Et Servus.

M. MICHAEL AWEDYK
Phiæ: Doctor & Pr.

PANEGYRICUS.

ATtollite frontem ſpes publicæ, evola in altum Sarmatica Ales, reſerate Portas cordiumq; repagula Cracij Cives NEPOMVCENO in triumphum. Quidni cum feſtivis tripudijs IOANNI occurrere debeatis? qui numeroſa Clientum ſtipatus turbâ, non tantùm mortalium animos, verùm & Sanctum Divorum cætum ſibi nactus, in applauſum. Exeunt obviam Sancto Confratri ſuo tam Vrbis hujus quàm totius Poloniæ Patricij Tutelares ſacraq; ineunt conſilia, quibûsnam plauſibus? quibûs triumphis novus excipiendus Hoſpes? Concluſio beata nemine contradicente facta, poſt Sanctam animorum luctam unicuiq; ſuam cecinit victoriam; quia à quolibet triumphalis ingreſſus adornatur. Primus inter õnes quia Regni Primas Archipræſul ALBERTVS

TVS Præſuleo ſuffultus pedo in mille exuberat ſolatia, dum gratiam Polonos in limites videt accedentem. Quondam Pragenſis Paſtor Pragenſem complectitur Prælatum dignũ Eidem præſervans locum ad latus ſuum manſionem permittit, ut non ſit ſine Canonico. Roſeam ſuo Gentilitio pandit Porajo viam IOANNI. Quô ad gloriam cæleſtem enatavit cum eodem Remo occurrit aquarum Martyri; novum ſibi ratus acceſſiſſe Cruciferũ gáudiorum ſumit incrementũ. Porrigit alijs palmam & Solenni indutus ornamẽto Domi ſuæ triumphum auget. Pragenſi Cathedrali Canonico in ſua Diœceſi Hoſpiti Sanctus non deeſt STANISLAVS, ut maior triumphorum appareat cætus venerabilẽ numeroſiſſimi Cleri Majeſtatem Gentilitia ſua prodromante Cruce in plauſum Magno ducit Myſtæ. Gladiô quo occubuit vivam NEPOMVCENI ampliat famam. Exinde Hoſpiti gratus, quòd Ille á BOLESLAO Hic à VENCESLAO Martyr & uterq; in ſede Beatorum laureatus uterq; Sanctus. Scribit IOANNI ingentes laudũ panegyres hac manu FLORIANUS, quâ Poloniæ Patronus factus, ſtrenuus pro Dei honore miles; ſimul & pompæ triumphalis Ducem agit.

agit. Poloni Æneæ non minor Sangvis Iagellonum cara Propago Orbis Sarmatici dulce decus, Regum & Principum gloria CASIMIRVS novo Hoſpiti nitidiſſimumm præſert lilium. Appendit in Ara IOANNIS candidi pectoris hæcatumbē, ſimilis ſimilem, quia MARIÆ ſalutat Cultorem, Regis Filius Reginæ Confeſſarium; Patriæ amor, cordis humani delicium. Emittit odorem ſvavitatis ut omnis ad adventum NEPOMVCENI redoleat felicitas, *Hyacinthus*; ſagittæ ſuæ metam amoris inveniens in IOANNE, ſimul & Arcum ponit in triumphum. Evolat Phænix ex Loiolanis ignibus *STANISLAVS KOSTKA*, in *Socium JESV* à prima vocatus Iuventa, gaudet quod NEPOMVCENORVM plauſuū etiam fiat ſocius. Occurrit IOANES IOANNI viam *Cantius* NEPOMVCENO, Doctor Doctorem mutûis excipit amplexibûs, dicerem quod nova propter tantos Magiſtros aſſurget Vniverſitas niſi ſcirem & Iagellonicam Palladem à Carolina Minerva non differre. Acclinat ſua venienti Sceptra, ſignum amoris & gaudij demonſtrans, cum toto inplauſum currit Academo cæleſtem ſalutando Collegam. Nectit

 coro-

coronas Cracius Apollo, quæ etsi eminentia summis æquales, cùm tamen ob summam copiam omnes caput IOANNIS cingere nequeant, progressum ornant in amæna florilegia surrecturæ. Accendit Seraphicis ex flammis rogos, olim in Cracia Vniversitate Magister Divus SIMON de Lipnica, & quo erga alios ferebatur amore, eundem IOANNI in pompam triumphalem explicat. Accurrit in tantæ Solennitatis tripudium de medio Lateranensium Canonicorum *STANISLAVS CASIMIRITANVS* se statuit novo Hospiti IOANNI in applausum, quem in Laterano à Sanctissimo quōdam BENEDICTO XIII. numero Sanctorum ad scriptū cernit. Intonat Salve Canonicus Canonico altis suspirijs ingentes molitur triumphos; plura ausurus, si subsequentes ad ea peragenda non videret. Rependit cor cordi *IOANNI GIEDROICIVS*, ex Principe familia Principem movet applausum; alter Hortensius rosîs suis coronat Gratianum, ad majora augenda vota, suum socium ex circulo vocat *SVENTOSLAVM*, ut Eundem quem publica omnium veneratur lætitia etiam & Illi suis affectibus prosequantur.

Ridet

Ridet amæniori vultu inter Auguſtinianã Eremum *Iſaias Boner*, ſuas arbores in portas abire permittit, ut triumphalis Hoſpiti appareat ingreſſus. Prodit ex toto Polono Orbe innumera Sanctorum Vniverſitas, alij præle-cente Dominici face, alij cum Loiolanis & Seraphicis prodeũt ignibus, ſinguli cum plauſu; & quibus ſua deſunt arma, Solennibûs ornati ſtolis triumphalem comitantur pompam. Sunt quidem hi omnes in Præſidium Polono Orbi Tutelares, ſed non minus IOANNES. Multa debet *Lecho* Sarmatia, quòd ex Bohemia veniat Fundator, IOANNI plura; quòd venerit Protector. Romanum Capitolium ingredienti Antonio, tota Quirina plaudebat turba, mænia ipſaq; pupulis repleta tecta, communia teſtabantur vota; Togati Proceres, Sago induti Equites, pro opibus ſuis; odores aliaq; cremabant ſolennia, & illi quorum diverſa oppida, victimas Triumphatori, ſtatuentes publicis conclamationibus pompam augebant. Venienti Polonos in limites IOANNI, majores ut ſurgant plauſus eſt neceſſum. Ponant ergo alij Tibi Magne Patrone arcus & triumphales colloſſos, alij Pyramides, Statuas, & Septizonia erigenda decernant, quæ ſi Ti-

bi arrident; permitte etiam amoris penicillô & vivis virtutum coloribûs Tuam per vitæ lineas ducere Imaginem, & sic quis qualis, quantusve sis Curq; inter triumphales plausus Præsidium maneas patebit.

Nativitas NEPOMVCENA per Parentum preces à MARIA implorata omnibus in Præsidium cedit.

Mirare Orbis
IOANNES precibus imploratur
quia Præsidium,
& quæ natura obstacula posuit,
MARIÆ gratia superavit.
Etiam & Laconum augustas animas
obstetrice mala fortuna
ad immensum gloriæ decus,
Nasci non insolitum:
quod serius
carius est.
ipsa expectatio dat pretium rebus.
Bellum inter Parentes IOANNIS proclamatum
sed minimè bellum,
pugnatum suspirijs pugnatum votis

ut

ut Præſidium naſceretur.

Lacrymæ.

quæ pondera vocis habent

Mari immiſſæ Mariano,

in gemmas ſolatiorum concreverunt,

Vocem alteram nactæ,

quia IOANNEM.

Ex qua mille clypei pendent

Turris MARIA,

dum precibûs oppugnatur,

conſurgit Præſidium

ſatis munitum ac ſolidum IOANNES,

etſi à lacrymis Parentum:

quia futurus

Aquarum Martyr.

Nec mirùm quod tardo molimine conſurgat:

decenio Elephas parit ſed Elephantem,

decuit ut IOANNES ſerò naſceretur

cujus greſſus ad ſolas virtutes

velocitatem ſpondebat.

Antequam natus,

iam adultus fortunæ ſuæ faber.

Gratia gratiam Orbi dedit

MARIA IOANNEM

aridæ ut resuscitarentur spes,
Fons hic ex Oceano profluxit Cælesti,
brevi Moldavam,
Nomine & factis aucturus,
ut in gratias exuberet.
Diu quidem suspensa Parentū tenebātur vota,
sed ut citiùs in gaudia venirent,
hoc dotata,
quòd Ejus ope famæ bonæ
Patronus nasceretur,
per Quam humano generi
infamia in solatium venit.
Magnis Parentibus magnus natus IOANNES,
lucem genitus aspexit,
sed illam;
quam Sol Iustitiæ Christus serenavit.
Ex Mariano mari
Vnio hic emersit pretiosus,
ut Orbem ditaret.
Ab illa quæ ut Castrorum acies ordinata
Præsidium IOANNES prodijt,
ut tuta fama maneret.

Præ-

Præcurſor Chriſti Baptiſta
unus niſi ex utero exivit Eliſabethæ,
alter major eô non ſurrexit.
NEPOMVCENVS ſterili natus Parente,
ut fertiles redderet ſucceſſus.
Imbellem columbam
feroces non progenerant Aquilæ,
pijs Parentibus,
Sacer natus Myſta,
ab Aris imploratus
quia aris dignus;
In Baptiſmo
quas erat recepturus gratias,
ſecum ſimul pro dote tulit.
Magnis nimirum curîs
ſumma animorum decora aſſurgunt,
nunquam ſe ita fatorũ inclementia exerente,
ut non emergant Coclites.
Poſt ingentes curas
Natus IOANNES,
ſignum;
quòd nunquam ſine cura

de Bono famæ.
Oppido in Pomuk
NEPOMVCENI Parentibus auxilium
per MARIÆ gratiam datum,
ut hic pridem desiderabilis venisset
G R A T I A N V S.
Quæ omnium lactavit Creatorem,
Hæc Lucina NEPOMVCENO commodissima fuit
ipse Illum Divorum nutrivit amor,
quia cordis humani delicium.
Compositum quidem Physicum
sed magis Gratiarum IOANNES,
non priùs in lucem datus;
antequàm precibus imploratus.

Sanctus in Orbem hunc Præsidij exortus ridentibus Astris, prodigiose sola-tia monstrat.

Adeste huc centoculi Argi.
tubos opticos erigite Astronomi,
quibus Astra pro meta
& meta in astris est.
Majores minoresq; Planetas lustrate,
quisnam in Cælis triumphus?
quod-

quodnam appareat Phenomænon.
Lux domui circumfusa exoritur
Quis Phosphorus Bohemū ingrediatur Cælū
formate prognoses.
Aurora
semper nuncia Solis est,
post ablutionem, Orbis
Fædus pacis & solatiorum decus,
utiq; in Iride cernebatur;
Ad Adventum IOANNIS
diluvium lacrymarum
Cælesti debuit exsiccari lumine.
Infanti Herculi
Stella in cunis apparere visa,
futurum inter astra Sydus
à Vatibus nuncupatus;
Nascente NEPOMVCENO
Cælestes emicant flammæ,
ut alter ELIAS igne amoris Divini
Regna & Reges inflammabit.
Stupor Mentium,
Infanti astra famulantur minora,
posthac

totus in Coronam veniet Olympus.

Nascente Minerva

Cælum ridendo gemmeo grandinabat imbre,
Nato IOANNI majorem addit plausum,
dum domum Regiam Solis facit.

Factum est:

Inter sydera enim Infans nasci debuit,
Qui
etiam inter sydera Martyr factus.

Astris applaudentibûs
Nativitas peracta Ejus,
quia solatium novum
Orbi ad videndum proponitur.

Sanctum Præsidij JOANNIS in Virtutibus exercitium.

Donum ingens
Parentibus IOANNES datus,
Baptismalibus lavatus undis,
quidquid egit
candidum erat.

Dies Ejus.

Sine linea rara, & ferè nulla;
Continuæ innixus pietati

Pena-

Penates domeſticos
Divorum Coloniam fecit;
&. vitæ Ejus maxima
non alia,
niſi DEO & Genitrici MARIÆ ſervire.
Puſillus corpore
Mente tamen animoq; Gigas,
per ſcuta reptavit puer,
Novam moliebatur gigantomachiam;
ſed contra ſcelera.
Vagiebat in Cunis Infans,
brevi pro Divorum Aris Orator;
ex Pænitentum lacrymis;
non unam DEO Hoſtiam oblaturus.
Crepundijs puerilibûs ſolutus,
ſe virtutibûs involvit:
Aſsidua DEI contemplatio.
IOANNI Iovis dies recreatio erat
vituperium promeruit nullum,
niſi apud vitia;
quæ fugiebat.
Hic ſiſte calame

si IOANNEM delineare intendis
Major supra spem dicentium
& scribentium evasit.
Mente in Cælum elevatus
mortalibûs pennis attingi nequit.
Si sic in viridi,
quid de IOANNE sperandum in Arido?
in Eo crescente
Ignis Divini augmentabatur amoris,
assiduis Orationibûs
Cælos sibi devinctos faciebat,
ut virtutum stipatus satellitio,
inter Triumphales plausus
Præsidium videretur.
Fugiunt alijs freno non remorante dies,
præcurrunt horæ,
more fluentis aquæ,
NEPOMVCENVS promptitudinem ingenij eis opponendo
tenellos Aras versûs dirigebat gressus,
ut ad metam DEO serviendi
citiùs perveniret.
Ædes Parentum
IOANNI hospitium erant

Ipsa

Ipsa mansio
Domus DEI Ecclesia
Ad quam Phosphoro veniente festinus
vix Hespero oriente redux.
Tremendo Missæ Sacrificio
Assiduò adesse duxit,
Ipse futurus Magnus Sacerdos.
Thaumaturga Beatæ Virginis Imago,
Intentionum IOANNIS terminus erat,
sed sine termino,
ad quam corpore non precibûs
Iejunus accedebat,
ut recessus Ejus beatus fieret.
Inter tot in vinea Christi labores
dignus Operarius mercede sua
hoc sibi pro præmio habuit,
cùm alijs daret.
Primis imbutus rudimentîs
scivit benê,
qui Virginem Sanctam concernit honor,
laurea Doctorali coronandus
Priùs Academiam omnium scientiarū coluit.
IOANNI jam non Phæbus
qui Illum ad Ædes non duceret Marianas,

 in qui-

in quibus pijs ſuſpirijs
Sanctiorem ligabat Amaltheam,
ut lacte Divini amoris nutriretur.
Meditatio NEPOMVCENA
De DEO erat
innixus devotioni
ut alter Paulus,
mente Cæleſtem voluebat Patriam,
ad eandem
viam omnibus monſtraturus.
Aptabat ſe tempori
& in uſus ſuos
omne ejus ſpatium convertebat.
A Magiſtra Artium MARIA
Sacras Complexus ſcientias
Pragenſe petijt athenæum
ut in humaniores profeciſset.
Initium ſapientiæ Timor Domini
Ejus fundamentum fuit,
cui innixus
Ad ſuſtentandam Eccleſiæ molem
Grandem crevit in columnam.
Virtutes quiſquis ſpectare voluit
In

In IOANNE Vidit.
Quarum ille effigiem in se præferebat.

Sanctus Divi IOANNIS NEPOMVCENI in humanioribus Scientijs profectus, & laureæ Doctorales.

Sub Scholastico Sole
NEPOMVCENVS ingenium excoxit suum
ut plurimis saperet.
Somnum nullum admisit,
qui sine vigilantia esset.
Deficiente suo lumine Phæbo
Cleantheus vices supplebat lychnus
noxq; illi semper dies erat.
Inter Musas Apollo
Inter Tullianos flosculos Princeps florum
quia lilium factus IOANNES.
Per Aristotelicum Eurippum
Carbasis diligentiæ instructa Cymbä
ad Laureas enatavit;
Et qui solum mente volvebat DEVM.
Post Corymbion Philosopicum
Laurea Coronatus Theologica.

S. Theologiæ & I. V. Doctor proclamatus
utramq; tuebatur spartam,
amare DEVM, scelera fugere,
lectio Ejus solidissima;
Et plus tacendo docuit,
quàm quis stentorea voce loquendo posset.
Inter Doctos
evasit doctissimus
quia à Magistro Christo instructus.
Nec satis est:
Post laurus Academicas
Mystæ donatus Areola;
decuit enim ut Iuris Vtriusq; Doctor
Cælestis Tribunalis Surrogatus
Humanæ conscientiæ simul fieret & Iudex,
Cujus decreta non alia,
nisi Pacis medium inter DEVM.
Continuis erga Superos ardens votis,
etiam & ad MARIAM
Castrorum Aciem Ordinatam
ut Præsidium se ordinabat IOANNES,
Dùm assidua in montem viridē peregrinatione
dome-

domesticus factus,
licèt de novo,
Antiquo tamẽ erga MARIAM ferebatur amore.
Suo principio quisq; multa debet,
Fontes qui proprium absolvunt cursum
signum obligationis demonstrando,
Vnde ortum habent,
Eidem illabuntur Oceano
NEPOMVCENVS MARIÆ precibus imploratus,
etiam suas Ei cum corde rependit preces,
igne Cælesti inflammatus
se in holocaustum proponit.
O ingentem IOANNIS pietatem
o inauditum amorem!
Dies Ei quilibet festus erat.
erga DEVM & MARIAM,
sermo
etiam familiaris de Divinis,
verum Angelum dicerem.
si simul Sacerrimum Mystam non nossem.
Ex ipso Nominis Ethymo disertus
& reipsa fuit IOANNES,
Peroravit pro nobis coram MARIA,
& ad DEVM in MARIA.

Nulla hora
quæ ab Ejus precibus pretium & pondus non sumeret,
omnes Aureæ
quia de Thesauro gratiarum emensæ
Præsidium IOANNES omnibus per Eleëmsynas suos cumulat favores.
Probavit curas
de bono Regni laudabiles
omnium assensus,
labores privatim peractos
ut in publico magis Bohemia videret
In Regis Aulam
NEPOMVCENVS provocatur.
Exeat ex Aula, qui volet esse pius.
IOANNES commune vicit edictum;
In Curia
Majoribus stipatus Curis
nil intendebat
quod Magnum coram DEO non esset.
Divisum cum Iove Imperium,
ut citiùs haberet,
sua in egenos dividebat.
Elèëmosynarius factus
dabat,

dabat, ſed recipiens
quid? niſi gratias.
Claras ad ſe voces
Clariſsimo Compenſabat ſenſu,
quas ex tenui proventu ſibi comparavit opes,
in Eccleſias Divorũq; aras
& aliorum inopiam convertit omnes.
Regi addictiſsimus,
ut alter ſuo Alexandro Epheſtio;
plura dando Auxit
quàm ex cenſibus implendo.
Per IOANNEM
ad gratiam Regis aditus facilis,
Quia ipſe IOANNES gratia
ad intima admiſſus ſecreta
Brevi pro ſecretis Martyr,
non quòd ea revelaverit
ſed quòd celaverit.
NEPOMVCENVS favoribus nemini defuit,
ad ea nonniſi parcus,
in quibus ex liberalitate
ſcelera naſci poſsent.

 Virtu

Virtutum Promotor maximus
quia totus ad earum Normam compositus,
discordantes sæpe univit animos
Ipse Vnio pretiosissimus.
Inter ignes aurum, inter incudem & malleum
adamas valorem non amittit,
IOANNES inter varios Aulæ positus turbines
nunquam naufragium passus.
semper Præsidium firmissimum;
& præcipuè
Dum IOANNÆ fieret Confessarius.
Pragensis Cathedralis Canonicus
non sine exemplo
quid deceat Sacerdotem quid deceat Prælatũ
ut in speculo monstravit.
In Cathedrali Ecclesia
Cultum Divini augebat honoris
ut in populis amorem augeret;
ad magna natus
Majora gessit quàm dici possunt.
Præsules Purpuratos
verecundo adæquabat vultu,
à fronte Iupiter ab Ore Mercurius
eo autem & illos superavit
quòd nihil profanum egit

Con-

Contemptus honorum in NEPOMV-CENO non ſine honore Præſidium exponit.

Huc currite honores
Nomen veſtrum apud IOANNEM infimum
& qui aliorum deſideria
proprio accenditis igne
in NEPOMVCENO extincta
deplorate.
Semper enim in Sanctis ſumma dignitas
mereri ſingula non habere
ſubeſſe non præeſſe
Fatuæ ſunt flammæ, quas nutrit honorũ focus
cum igne Divini amoris
rarò ſubſiſtunt.
Vir ſecundum cor DEI IOANNES,
mundanos fugit honores
ut Cæleſtium particeps fieret,
Hos nonniſi adamavit
qui cum labore eſſent.
*B*oni communis Eccleſiæ, & Literati otij amantiſsimus
nunquam ſine honore fuit,
vel maximè cum eos recuſavit.
Fidei ſolidiſsimum fulcrum,
omnia bene egit

Ipſe optimis melior.
ſatis illi erat Myſtam eſſe
& plus ſibi æſtimavit aliorum inopiæ ſervire
quàm divitijs.
Pontificale renuit pedum
ut dextram ad liberalitatem
promptiorem haberet.
Tyaris Caput ſubmovebat
ut in Patria triumphator
laurum ſortiretur
vilis de ſe æſtimatio
pretium non humile nacta,
quæ offerebantur Prælaturæ
non acceptatæ, IOANNI ſolatium;
Soli honori cordolium augebant.
Flectebat Venceſlaus vota NEPOMVCENI,
ut ſimul ad revelandum confeſſionis ſigillum
eundem flecteret,
ſecreta IOANNÆ ut prodirent
apertam ad honores januam
Illi demonſtrabat.
Recuſavit ſubſellia IOANNES
futurus Cæleſtis ſenator.
ut ſuus Sacramento conſervaretur honor
mundanum reſpuit, majori coronandus
San-

Sanctæ D. IOANNIS NEPOMV-CENI Conciones & ardentissima Cultus Divini Promotio.

Non Nomine tantùm
ſed & ipſis reſpondebat factis
IOANNES Baptiſtæ,
Ille inter Eremum Chriſti Præco,
Hic inter inverſas arbores
Homines intelligo
vocaliſsimus Proclamator;
verba jaciebat
ſed fulminis inſtar,
quibus peccata feriret.
Sydus nitidiſsimum Eccleſiæ
in Exedra quoties enituit,
toties lumine ſuo
Hæreticas diſperſit umbras;
quòcunq; greſſum movit,
ubiquè obtinuit triumphum.
Vis dicendi apud Illum non alia
niſi gloria DEI,
Etiam coronata monſtra
virgam Eloquentiæ Ejus ſentiebant

Actio quælibet heroica erat,
illis solùm non placuit; quorum oculis
etiam lux solis amænissima
displicere solet.
Verior Hortensius
quas olim in Sacris scientijs legit rosas,
easdem omnibus cumulabat;
quæ virtuosis apibus Mella,
solis labe peccati fædatis scarabeis
venena sapiebant.
Vox non postrema IOANNES
omnium penetrare volens animos
docenda prius Ipse explevit,
ut agendorum exemplar fieret.
Nosce te ipsum
cuiq; sat clarè explicabat,
Celeberrimus Doctor
ex antecedentibus peccatis
æternæ pænæ consequentiam inferebat
ut ad pænitentiam reduceret.
In foro Conscientiæ
sceleribus extructa demoliebatur fana,
DEO omnium Servatori
nova

nova extruendo ſacraria.
Fidelis Chriſti operarius
vocationi ſuæ ex aſſe reſpondens
Dum Soli DEO
uti cordium ſcrutatori
ſecreta patentia,
Venceſlao revelare noluerit,
non priùs officium quàm vitam amiſit.
Sancta D. IOANNIS Mors ſemper
nobis Præſidium vivere facit.
Fata Atrocia
pari ferocitatis impetu,
adeò totum graſſantur per Orbem,
ut etiam laurus fulmine tangi neſcias atterant,
Sceptra ligonibus æquent.
Certa omnibus ſpes & eventus mors
in ipſo vitæ Ortu
plurimos ad occaſum compellit,
& uno obitu
millenas trahit ad declivia laudes:
Aliter tamen
meritis & virtutibus

NEPOMVCENI Concessum.
Qui dum in terris fuisset
Cælo vivebat
nunc cum in Cælis est
Orbi ad Pæsidium vivit.
Ingentia quippe Nomina
Libro æternanti inserta,
oblivione deleri non possunt;
semper virtutis fama post fata superstes;
factis Sancti homines
non annis vivunt,
& eo tempore perennare incipiunt,
dum inter mortales esse desinunt.
Suscepit quidem pro non revelato sacramento
mortem IOANNES,
sed vitam simul felicem adeptus.
Mandato Vencеslai
in flumina Moldavæ præcipitatus
ad portum gloriæ enatavit,
& qui nihil humanum egit
hominum excedens fortunam
supra aquas ferebatur
quo nomen suum etsi in conspectu Regis vile,
in

in Cælis tamen pretium habere demonstravit
Oculis intuentium perijt non gloriæ,
Ejus nihil miserandum in morte
cujus vita ad fortunam erat aliorum
ut Præsidium expugnaretur IOANNES
Necromanticas Venceslaus adhibebat vires
suis diffisus
Injustus, inhumanus,
alijs licere omnia voluit scelera,
Contra IOANNIS Innocentiam;
puduit Eum bene agere de Exemplo
anteire malos maluit
quam bonos sequi, ipse pessimus,
secreta I O A N N Æ scire volens
antequam sapuit, prius desipere cæpit.
verba Confessionis cum scrutari non posset
IOANNEM aquis scrutandum posuit.
Vt in vita
sic & in morte gloriosus,
inter astrorum plausus natus,
etiam inter eosdem obijt.
Vixit sibi satis ad gloriam,
populo ad exemplum satis,

 Fatum

Fatum Ejus
Venceslao Sacrilegium
Ipsi nonnisi uti Martyri
laudabile conciliavit Nomen in æternum.

Sancta D. IOANNIS NEPOMUCENI lingva ab aliquot sæculis incorrupta.

Hic suspende gressum
Viator
non ego sed ipse Te alloquitur IOANNES,
Soli Regi mortuus
Tuo tamen invigilat Honori & præsidio,
in suis perennat factis.
Lingva Ejus incorrupta
quod Oratorem agat mirare!
Insolita elequentia hæc non ne meretur
ut Te detineat.
Illa est quam taciturnitas, disertam fecit
si plura scire vis?
Lingva hæc cum vixit tacebat
nunc etsi mortua dicere non cessat
ut alij male loqui sinant.
Totus IOANNES in vita sua Eloquentiæ Prodigium,
etiam post fata disertus,
abijt

abijt non obijt
ut famæ ſubveniret.
Tuetur communes ſucceſſus uti præſidium
Et qui inter mortales eſſe deſijt
ſuis tamen non deeſt Clientibus.
Quæ DEI Honorem prædicabat lingva,
Hæc encomia NEPOMVCENA clara facit
Rubet recenti Cruore
Nemini tamen cruenta.

Sanctus NEPOMVCENVS in verũ Præſidium miraculis claret.

Tuetur à Peſtifero impetu
tot Regna IOANNES
uti Præſidium,
multis laſſata morbis
ad ultimum fatorum declivium
Poricenſis nutabat ſalus,
NEPOMVCENO Protectore
à peſtilentiæ livore liberata
inimicas fugit Nemeſes,
ipſa antehac fugienda.
Minabantur Civibus ruinam
ſibi eſcam

Pragenses flammæ
illas IOANNES
uti aquarum Martyr
gratiarum sedavit fluctibus,
& quæ aliorum consumebant fortunas
sibi consumptæ;
erant sed quasi non essent,
suos incusando impetus
cum majori disparuerunt
quam venerant fragore.
Illabitur flumini, infans puella
IOANNES qui inter aquas fata subijt.
Ex aqua sublatæ vitam reddidit
Inter Cæli lumina
NEPOMVCENVS Natus
etiam Tyresijs suam præbet lucem
sibi devotum Przybylium
lumine oculorum orbatum
favoribus illustravit,
& cui Medicorum magis obfuere remedia
NEPOMVCENI gratiæ,
uti magni Doctoris profuere.
Continuus ad MARIAM peregrinus JOANNES
etiam peregrina membra sana facit aliorum
Col-

Collegiatæ Decanus
etiam & Myſtis ſubvenire non ceſſat.
pedibus langventem Presbyterum
Priſtinæ reſtituens ſanitati
curſum vitæ continuare fecit.
Sanè
ad notanda IOANNIS miracula
Orbis totus in librum ut abeat
eſt neceſſum.

NOn hic jam meta NEPOMVCENO proponitur honori & Præſidio; tendit ſemper plus ultra factis ſuis IOANNES ſine meta, à tot ſæculis triumphantem ſui ſanctimoniam in univerſum expediens Orbem, adeſt ubiq; favoribus præſens, gratijs cumulatus. Eſt tibi quid gratulandum Divorum Parens, Magnorum altrix Virorũ Cæleſte Suburbium Alma Mater Polonia, dum illum ad tuos limites vides accedentem Hoſpitem, quem publicis anhelabas votis. Sed quid ago ſi Hoſpitem IOANNEM dico, pridem ille ſuis affluentijs Polonis aderat ſucceſſibus unus in ore omnium Gratianus, unus in corde ad delitias Titus. Cognatæ ſibi hæ duæ Gentes Polo-

nus cum Bohemo etiam cognatis ut fruantur gaudijs est necessum; solatia quod mille sumāt nec mirum uterq; enim germanus Princeps quia germanus Frater. Domesticus nobis IOANNES est eò nōnisi pro Hospite putabatur, quòd sua nostris in Oris defuerit præsentia, qui nunquam gratijs deesse voluit. Venit in nostros limites Cælum animatum IOANNES ut emortuam fortunam animaret. Quid ultra? venit Polonæ felicitati & bonæ famæ protutamine uti Maximus Præses, qui tota vita sua nihil egit quod pro Præsidio non cederet universi. Effugiebat more modestiæ solito omnium mentes & assensus, nunc cum triumphalem ad suos terrigenas format ingressum, si non ad numerum saltim ad omnimodam reverentiam poscit laudatores. Nec satis est; inviscerarus amore publico omnium præcordijs IOANNES, habet suos sequaces Clientes sequaces Cultores, æquè ore ac manu devotos. Habet honoris sui Promotores Devotissimos, qui NEPOMVCENVM ut licet in parte venerarentur, totos impendebant conatus. Vellem silere tot magna Nomina ne illorū multitudine tota obrui videatur oratio, sed Ille loqui demandat, qui olim tacuit;

Ille disertum agere svadet, qui silentiarius erat, Ille verborum copiam subministrat, qui Elèémosinarius, inopias aliorum sustentabat. Nō desunt sua oratori lumina quæ stellatus conciliat Martyr, ut major dicendi eveniat origo in quibus submersus eosdem accumulat fontes. Perennat gratiosus favor in IOANNEM *Serenissimi ac Potentissimi* AVGVSTI II. Regis Poloniarum invictissimi qui inter tot triumphales de hoste reportatas laureas hæc sibi in maximam habuit, ut etiam IOANNEM Martyrij areola coronatum inter suos veneraretur limites. Cæli hic Sarmatici Iupiter est, sed & illo benignior; in Divorum aras liberalitate, in subditos affectu decertat, & nemini non addictus. Gladijs suis in adeptione sacrarum IOANNIS Reliquiarum, difficultatum resolvit nodos, ut vicina Bohemiæ Sarmatia bono communicativo frueretur hæc sua promotione fecit. Florent immarcescibiles pacis beatæ oleæ Serenissimo irrigatæ Sudore, quæ re & nomine AVGVSTVM inter hostiū animorumq; prælia demonstrant. Pulsabat Ille atria Petri, ut pridem voce populi IOANNES Sanctus, etiam & ab Orbe videretur Sarmatico; nunc ut Sacra impleret de-

ſideria etiam & Pragam pulſavit. Servent ergo ſuperi nobis AUGUSTUM ſemper Secundum, NEPOMVCENVS hæc ſuis conciliet factis ut maximus Eius Promotor hucuſq; Rex vivat *Sereniſſimus*, quouſq; Phæbus totum illuſtrabit Orbem quouſq; Sarmaticum perennabit Regnum.

Non defuit devota propenſio in IOANNEM *Celſiſſimi Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini D. THEODORI in Potok POTOCKI*, Archiepiſcopi Gneſnenſis Legati Nati Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ Primatis primiq; Principis. Hic Primus inter ſtatores Poloniæ Princeps ſublimioris ingenij animorumq; prodigium, ut miraculis Clarum IOANNEM novum Sarmaticas in Oras deduceret Hoſpitem Ipſe proprijs auxiliabatur votis. *Celſiſſimo Pilava* ſuo deſtinatum gloriæ monſtrabat locum, ut NEPOMVCENVS iter confeciſſet. Lechico in Senatu Apollo *THEODORVS*, quoties pro immunitate Eccleſiæ pro libertate Regni perorat toties oracula pandit. Evincent facta evincet hoc & Ipſe IOANNES Magno Principi quod cum *Celſiſſima Domo* ſua ſemper meridiem honorum non fatorum experietur occaſum.

Pien-

Pientiſſima in IOANNEM non præter mittenda deſideria *Celſiſſimi Principis Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini CONSTANTINI FELICIANI in Szániawy SZANIAWSKI*, Epiſcopi Cracovienſis Ducis Severiæ, Almæ Vniverſitatis Cracovienſis Cancellarij faventiſſimi. Ditavit ſat bene vellere ſui *Iunoſſij Agni* NEPOMVCENVM, honoris Ejus ſingularis Cultor ſimul & Protector. Monſtravit omnibus exemplum, Ipſe optimus Paſtor; IOANNES cum majori ut veniret plauſu, Ille eorum auſpex & perfectio. Dedit futuris admirationem ſæculis quantus in Illo erga DEI honorem zelus, & quanta erga Sanctos pietas: verè hoc Præſule Cracovia felix, dum non pridem ab Vrbe Romana Sanctum etiam nunc oſſibus Sanctorum oſſa adjungi videat IOANNIS. Ergo cujus ſub ſingulari protectione Sanctus Martyris viget honor Ille eminentiſſimis titulis longevus floreat.

Habet pretium appenſum in ſtatera IOANNIS Nomen cui ſuos accumula favores *Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus MICHAEL KVNICKI*, Epiſcopus Arſionenſis Suffraganeus Cracovienſis, Mono-

cerotem suum Gentilitium statuit Hospiti in applausum. Est Illi semper curæ NEPOMVCENVS honor, qui toties probatus, exinde vel maxime patet, quod publicum Introductionis adornet actum. Pro tantis laboribus ut in *MICHAELEM* Primæ purpuræ & Tiaræ quantotius librentur auxiliabitur IOANNES. Gaudet Hospes quòd inter tot triumphos etiã Peraugusti Capituli redemiatur Coronis, sub quibus secure subsistẽs Victor, Præsidiũ demonstratur, Absterget tantos pro NEPOMVCEANO honore sudores fortuna Violis spirabunt sæcula flãmas Magnis Prælatis quibus *Illustrissimos* accendent soles.

Fulget pietatis igne & ipsos adæquat Soles *MORSZTYNIANA* Phæbe, *Illustrissimi & Excellentissimi Domini ANDREÆ MORSZTYN*, Castellani Sandecẽsis &c. qui in Cælites devotus, etiam & IOANNI suum non denegat plausum. Accendit Sacras flammas ut omnibus monstret quãtus in *ANDREA* erga NEPOMVCENVM amoris ardor, qui cum jam gloria Polonum replevit Orbem, etiam & altissimorum honorũ repleat desideria.

Adest Ducalis Eques *CZARTORI-*

SCIVS qui ſemper pro NEPOMVCEANO honore nova decurrit Olimpia, *Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dominus D. IOSEPHVS CZARTORYSKI*, Vexilliter M. D Lithv: &c. quondam diſtributori IOANNI ſuam non denegat liberalitatem ut Hoſpes pompa celebretur condigna. Dabunt ſatis Cæli pietati Magni *IOSEPHI* Illaq; nominis Ejus fama totum replebunt Orbem, quæ poſteri imitari & mirari ſtudebunt.

Spumat Gemmis & aureas volvit arenas Polonus Tagus *Szreniawa* Gentilitius *Celſiſſimi Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini D. THEODORI Comitis in Wiſnicz & Iaroſtaw LVBOMIRSKI*, Sacri Romani Imperij Principis Capitanei Scepuſienſis, Exercituum Sacræ Cesareæ Majeſtatis Generalis: Aquarum ſalutat Martyrem, & in diluvium exuberat gratiarum, quos tenet votis hos pandit de ſua altitudine plauſus; abyſſalis in Patriam amoris Oceanus, etiam in IOANNEM profuſus eſt. Gentis Polonæ Tutamen in præſidium Vniverſi IOANNEM Principes accumulat favores. Vt in altiſſimis fulcrum libertatis *THEODORVS* conſolidetur honoribus aderit IOANNIS patrocinium.

Aperit

Aperit ad triumphū postes Gentitli⁹ Clavis *Illustriss. & Magnifici Domini IOSEPHI in Michałow MICHAŁOWSKI*, Subdapiferi Palatinatus Vicecapitanei & Iudicis Castri Cracoviensis, Hic legum patriarum fidelissimus interpres & alter Licurgus etiam in Iuris Vtriusq; Doctorem NEPOMVCENVM explicat pietatem, Clavi Ejus ut cunctorum pateant honorum conclavia prodromabit NEPOMVCENVS.

Ad lumina Solennis actus affunditur splendor Gentilitiæ Cynthiæ *Illustris ac Magnifici Domini PETRI WODZICKI*, Exercituū S. R. M. Generalis, uti Ecclesiæ & Patriæ non sine benefico influxu, ita etiam ad plausum NEPOMVCENI, favoribus agit. Quæ ergo Orbi Sarmatico spargit diem meliori coma, ipsa in plenilunio honorum non desinet fulgere.

Prænobilis Magistratus Cracoviensis quanto studio pioq; desiderio Sacras NEPOMVCENI deposcebat Reliquias, tanto Devotionis conatu, à IOANNIS Cultu non desistit. Non pridem egit gratias Cælo pro Canonizatione IOANNIS, Eumq; sibi in meditulliū Vrbis Introduxit, nunc non tam turres, quam

potius

potius colla sua demissime flectit & inclinat, ut in Lipsana è collo IOANNIS veneratione contestetur. Quod Collossos ergit aut Pyramides statuit, omnes sunt indicia pietatis; quot missiles accendit ignes tot eiaculatorios manifestat affectus; quot solennes flammas rogosq; instruit triumphales, tot pientissimis æstuat ardoribus. Sive sint Proconsules sive Consules Vrbis omnes selectissimi de Civibus Viri, omnes hunc curant anhelantq; delectum, ne sit absq; Promotoribus NEPOMVCEANVS honor. Servabit Patronus Vrbis columina, Consultissimos cum suo Senatu Viros ab alto consilio juvabit. Toti Metropoli stellis suis benigna conciliabit astra, Cælumq; ipsum ad beneficos influxus acclinabit.

Loci non obstante distantia agit NEPOMVCENI in Cultum inter Religiosos ignes primæ magnitudinis Sydus, inter uniones Ecclesiæ, Canonicos de Saxia, Adamas; *Perillustris & Admodum Reverendus Dominus PETRVS ROBERTSON*, Canonicus Regularis Sancti Spiritus de Saxia, ArchiHospitalis in Vrbe Romana Prior digissimus. Septicollem inhabitat Vrbem estq; præsens Cracoviæ affectu. Hanc suum natale Solum Illam

 solam

ſolam Orbis Dominam agnoſcit. Ne ſubgelida Septemtrionis Arcto devotionis in IOANNEM tepeſcat ardor ſuum pium non deſinit teſtari fervorem. Caſu ſuo in Moldavam NEPOMVCENVS firmabit in honoribus Petrum.

Quod adeſt Præſidiũ Gracias inter Turres IOANNES, Tibi totum, debemus. *Celſiſſime olim Illuſtriſſime & Reverẽdiſſime Domine D. FERDINANDE de Comitibus KHVNBVRG* Archiepiſcope Pragẽſis Legate Nate S. R. Imperij Princeps &c. &c. Pridem Polonis in votis erat NEPOMVCENVM condignis excipere plauſibus, nunc Tua gratia prodromante Illam in deſideriorũ complementum aſſequimur Sortem quam inter fortunæ Reliquias publicæ ad augmentum, inter ruentes malorum turbines ad ſolatium non tantùm communes poſcebant voces, verùm & omnium pridem ſibi optarunt deſideria. Monſtraſti clarè contiguam Bohemiæ Sarmatiam ſolo nonniſi clymate differre non aſſectu, Donum ingens Poloniæ IOANNEM dediſti & ad triumphũ eandem incitaſti. Explicat ſeveram in gaudia Mars Poloniæ laureatus frontem, deterſis ab æſtu bellico ſudori-

bus

bus amœniori ridet sereno ubi strenuum Ducem pro sigillo Confessionis IOANNEM, in parte licet veneratur. Exeunt obviam venienti Hospiti publici plausus Iagiellonica Doctori occurrit Pallas, & nullus votis non armatus plausibus non onustus prodire vult, ubi corda Civium in Trophæa, exultantes ob gaudiorum magnitudinem affectus in triumphales abeunt obeliscos. Ineunt nova tripudia Cracij Heliconis Camenæ, Chordas Apollo aptat, omnes ad plausus incitat hæc nonnisi præmeditando, quosnā concētus venienti occinat Hospiti, qui verior Orphæus suo modulamine omnium mentes sibi in victimam tulit, affectus sociavit, verus cordium expugnator, animorum triumphator quia IOANNES. Regū Coronatrix Cracovia novos hodie persolvit census ubi gratijs armata S. Hospitis NEPOMVCENI laus, turribus Decus, Vrbi cum millenis solatijs novum infert Præsidium. Si ejusdem ingenij esset amplissima Regna in hanc transferre pagellam & vere novo ridentes gestientium Regnorum cernere vultus; videremus, quanto major etsi veniente autumno Poloniæ nostræ amænitas est quam in primo adventus accessu, Vandali non negant

 expli

explicare campi. Veniunt in ſolatiorum partem vicinæ Provinciæ, fœderata indiſſolubili nexu gaudia triumphalem pompam adornant, Cælum ſereno proſpicit vultu, terra Hoſpiti in plauſum ſuos mittit fructus, & ſortis beatæ incrementũ exinde pululare viſum, quia aqua non ſanguine Martyrem veneratur. Accendit Pyrchas Polonis in cordibus ignitus erga Sanctos amor, & quem multa ſtupuere Regna is hodie prodit non ut adurat ſpectatores, ſed ut majorem augeat ſortem. Ferax laurearum Sarmaticus campus, quas olim ſuis Triumphatoribus nexuit; eaſdem IOANNI in plauſum mittit coronas. Accendunt ſereniores Thedas Soles Poloni, omnium tabeſcunt livores ut nihil umbræ in Cælo appareat Sarmatico. Enimvero ſilentibus prælijs ſopito inter oleas Marte, novum ſibi laus NEPOMVCENA triumphandi invenit genus, ubi & Gentis Togatæ gloriam, & ingentia factorum monumenta, Sibi duxit in victoriam. Magna enim felicitas eſt, illam tenere & venerari partem, ex qua nullum infortunium, ipſæ nonniſi Charites & millenæ effulgent gratiæ. Obſtrepunt grato murmure aquæ, & ſuo impetu meliores movendo lapillos plauſum e-

dunt

dunt, Illum ſalutando Hoſpitem; quem olim impia deiectum manu, Pragenſes veneratæ undæ. Nutant ſuis frondibus verticibuſquè ſylvæ, & quæ nubila tangunt arbores, aliæ in Coronas, aliæ in Pontes aliæ in Portas abeunt triumphales; ubi NEPOMVCENVM in viridi cernunt gratiarum. Decurrit gloriæ ſtadium pro NEPOMVCENO honore triumphalis Magni Ducatus Lithvaniæ Eques, totus in armis quòd minime licuiſſe exiſtimet arma abicere, ſub labarum Præſidij bonæ Famæ alacer currit, Nondum vaginâ conditum quod teneat gladium, nec mirum ſemper enim Virtus præſes, ſuo digna commilitone. Addit Ei alas Regni Aquila, ut Ille avitus Lithvaniæ Heros triumphalibus famæ gloriæq; inſtructus pennis verus plauſuum Genius videatur. Spirant trophæa Patritia per Orbem Sarmaticum tot *Celſiſſimarum* Domuum inſignia, pro Divorum Aris bellatrix Aquila, lætum hodie excitat Claſſicum, ut inde triumphalis Hoſpiti appareat ingreſſus. Refracta altis in montibus vox non poſtrema IOANNES, tam Ingens omnibus ad plauſus dedit incitamentum, ut nullum Regnum nulla Provin-

cia ſub Sole, quæ nobis tantum non invideat Hoſpitem. Induunt ſereniorem frontem Minor Majorquè Polonia, adornat Triumphalem Pompam Lithvania, exardeſcit plauſibus Pruſſia & nullus talis inventus, qui ob ſummum totius Sarmatici Orbis gaudium, novos magno Hoſpiti non cogitaret plauſus. Attollit Capathus tumentes in altum vertices Saxa candido inveſtita amictu ſerenam Orbi demonſtrant frontem, ut illa ſolatia quorum ſpectatores agebant, ab alto vicinis inferant populis. Ipſe domeſticus Viſtula, grandevà fluminum comitatus turba, Liburnim NEPOMVCENÆ vehit gloriæ, ut omnis intra Balthin, intra Fennicos ac Codanos ſinus, intra Cimbricam Herſoneſum, ultimoſq; Firlandiæ ſcopulos ſedibus ſuis remanens populus, videat quàm mirabilis in Sanctis ſuis DEVS, quorum ingentia facta, cũ ob triumphorum Magnitudinem uno capi non poſſint Orbe relicto gratiarum munere, aliam ſibi quærunt Macedoniam. Affine Polo Nomen Poloniæ, quod ſolo nonniſi differat incremento, poſt tot eluſas ſpes & labentes in deteriora horas, pacis beatæ otia in certamen mutat

tat votorum, ubi Illum Regali plane humanitate excipit Hoſpitem, qui ſine ulla exceptione omnibus Cœleſtes ſavores cumulat. Expectabat IOANNEM, quaſi à natura præmonita patentibus Poloniæ Campis, omnium expectabant deſideria, nunc tandem cum tanto Hoſpite vota noſtra coronarunt Superi, exinde bonæ ſpei aſſurgit incrementum. Vulcaneo mota concentu Sarmatica exultat Tellus, & terræ viſceribus incluſa Saxa Sedibus emota proprijs in gaudia quodammodo animantur, grande ſolatiorum pignus inde ſibi maxime autumando, quòd poſt tot decurrentia ad marginem fatorum momenta, poſt tot ruentia velut agmine facto diſcrimina, dexter oculis omnium adeſt, qui pridem mentibus adfuerat IOANNES. Hic quiſquis es metire plauſum, ſcrutare triumphorum receſſus, quibus Hoſpes NEPOMUCENUS inter tripudiantia hodie ſalutatur vota. Accenſi amore Clientum Obeliſci ſuas in altum mittunt ſcintillas, ut videant Superi etiam & terras ſuo lumine non carere. Reboanti gaudiorem fragore aera denſæq; diffractæ nubes, Cœlo novum denuntiant Feſtum; quod ſingularis erga Sanctos novit celebrare

amor. Acclamant publicæ felicitati omnium affectus, in extremis Orbis finibus, fama novum denuntiat triumphum, quibusnam Polonia exultet gaudijs, quantis solatiîs exuberet. Effudit se sed non in solam tantùm popularem auram laus NEPOMVCENA, quæ omnium affectus sociatos & mentes sibi devinctas habendo, etiam devota Phæbo & Musis pectora pulsat, ut ora resolvat. Ad publicum hunc plausum, capacissimi se torquēt sensus, excocta sub sole Scholastico ingenia fervescunt, & exploratam facundiæ vim dedicant IOANNI in cultum. Quidquid est inter festiva tripudia, inter acclamatiū, vota id totum se IOANNI sternit, ut à Præsidio fortuna, ab Hospite novi referantur successus. Ergo Capesse destinatum honori Tuo locum Sancte Patrone, ingredere hoc Polonum Capitolium magne triumphator; & quod Tibi publici plausus extruunt domicilium hoc felix conscende. Ministra triumphorum Sarmatica Ales, sub Tuam huc advolat umbram; Præsidiū, es tuere eam ab omni impetu adversanti. Salutat Te ut quondam suum Corvus Octavium, Tu salutantem protege. Cracij

Cives

Cives qui Tibi portas & cordium apeiiunt repagula fiant gratiarum compotes. Currit in Tuam pompam devota Regni Metropolis, Te Protectore ut abudantiam in Turribus suis agnoscat demisso exposcit cultu. Pridem Nomini Tuo devincta Literatorum ArchiConfraternitas, quæ Tibi hodie triumphalem auget ingressum, ut à Te sublimi Doctore sortis beatæ assumat incrementum, imis efflagitat votis. Adesto deniq; omnibus Tuis Clientibus, adesto suspirijs adesto votis, & qui omnibus unus ad plausus venis subvenias ad solatium, semperq; Cracias inter Tuerres pateas Vniversi,

PRÆSIDIVM.